

docemus hanc gratiam solam in voluntate seminatum non satis esse ut terra voluntatis det fructum suum, nisi per ipsammet gratiam fructificet, id est, nisi juvetur per cooperantem gratiam, quæ licet vocetur subsequens respectu prioris gratiæ, respectu ipsius voluntatis non est subsequens, ut ille auctor nobis attribuit, sed est concomitans seu cooperans, ut per se satis notum est, et ab ipso Ephrem in citatis locis sæpe ita nominatur.

D. Basilius, *libr. de Spiritu Sancto*, cap. 8. — Tertio, ex Basilio hæc affert verba: *Cum ait Apostolus: In his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos, nequaquam hac voce humile quoddam ministerium indicat, sed auxilium potius quod per imperium suæ potentiae operatur in nobis; sicut et ipsum alligavit fortem, diripuitque vasa illius, videlicet nos, quibus ad omnia mala opera fuerat abusus, fecitque vasa utilia Domino, apparatus ad omne opus bonum, ob promptitudinem illius, quod erat in nobis.* Ex quibus verbis imprimis colligit ille auctor Basilium nihil conversionis nostræ libero per se tribuere arbitrio, sed totum per eum qui dilexit nos. Deinde ponderat eadem verba, dicens: *Ecce auxilium magnificat, quod Deus nos convertit a servitute diaboli in libertatem filiorum Dei, effecit nos vasa utilia Domino, quos preparavit in omne opus bonum. Ipse (inquam) fecit nos, non ipsi nos, non ille secutus est jam operantes.* Interrogo vero ubi illis in verbis Basilius negaverit conversionem nostram per se esse a libero arbitrio. Si enim intelligantur per se, id est a solo libero arbitrio præcise sumpto, sic quidem negatur, et continetur in verbis Basili, quatenus auxilium Dei requirit; et illud merito magnificat, et ratione illius merito tribuit Deo liberationem nostram a statu peccati, et præparationem ad omne bonum, cujus ipse est principalis causa. Tamen in hoc sensu extra rem inducitur illud testimonium, et afferitur illa propositio, quia nullus Catholicus tribuit libero arbitrio per se, id est, solis suis viribus operanti, aliquid conversionis suæ, ut in superioribus visum est. Si autem sit sensus nihil conversionis nostræ esse a libero arbitrio tanquam a causa per se ipsius conversionis in suo ordine, propositio non solum non est Basili, sed potius illi et sanæ doctrinæ repugnat. Quia divinum auxilium præparat voluntatem ad omne opus bonum, et juvat illam, non tamen excludit, quin etiam influxus illius per se necessarius sit; imo, quod præparatio illa voluntatis non consistat in præ-

determinatione illa physica, satis indicavit Basilius, dicens: *Apparatos ad omne opus bonum ob promptitudinem illius, quod erat in nobis.* Nam longe aliud est voluntatem reddi promptam et facilem ad operandum a physica prædeterminatione. Quocirca non recte illud etiam adducitur: *Ipse fecit nos, et non ipsi nos*; nam illud fuit dictum de effectione qua fecit nos homines; quam ita ipse effecit, ut nos illam nullo modo fecerimus; hic autem agimus de effectione qua fecit nos credentes vel amantes; sentire autem quod eodem modo nos tales fecerit erroneum est, quia, *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.* Denique, quod ultimo dicitur, Deum in hoc opere non esse secutum hominem jam operantem, si intelligatur quoad primam gratiam prævenientem, Catholicum est; item si intelligatur quoad ipsum opus liberæ conversionis, etiam est verum, quia etiam hoc modo Deus non sequitur operantem, sed juvat ut operemur; uterque autem sensus est extra causam; quia nullus nostrum contrarium asserit; nec Theologus Catholicus mediocriter doctus hoc ignorat. Si autem sensus sit universalis, ut absoluta negatio præ se fert, scilicet, Deum in nulla gratia infundenda sequi hominem jam operantem, error est; nam Deus infundit primam gratiam sanctificantem subsequenter ad dispositionem liberam, quam jam homo operatus est cum prioribus auxiliis. Et sic etiam alia incrementa gratiæ tribuit propter præcedentia opera ex gratia et libera voluntate.

Chrysostomus. — Quarto, addit Chrysostomus, homil. 12 in 1 ad Corinth. 4, dicentem: *Acceptum habes non hoc aut illud, sed omnia quæ habes; non enim tua sunt hæc recte facta, sed Dei gratia; etiamsi fidem dicas, ea exstitit ex vocatione, et cætera quæ ejusdem rationis sunt, quibus prævenientem gratiam commendat, initiumque bene operandi illi tribuit, quod nos libenter audimus; et illo testimonio ac similibus uti solemus, ut Chrysostomum a calumnia Semipelagiani erroris defendamus, quam alii propter alios modos loquendi ejus in aliis locis illi attribuunt, ut in libro secundo de Prædestinatione latius tractamus. Quid autem hoc ad causam præsentem refert? An quisquam ex nostris negat initium boni operis esse ex præveniente gratia? Melius forte occasionem argumentandi sumerent ex illis negationibus: *Non merita tua hæc sunt, sed Dei gratia. Num ipse per te recte operatus es? non sane, sed accepisti; non**

enim tuum munus est, sed largientis, etc. Sed cum aliis locis ita tribuat Chrysostomus libero arbitrio meritum gratiæ, vel dispositionem ad illam, vel cooperationem cum illa, ut nonnulli putaverint ipsum incidisse in errorem Semipelagianorum, et diligenti ac pia expositione indigeat, ut in libr. 1 de Prædestinatione notavimus, facile constat quo sensu in citato loco hæc ab ipso dicta sunt; nec oportet aliunde quam ex hoc ipso loco illorum verborum sensum accipere, imo etiam per hunc locum cætera exponere. Cum enim dixisset: *Non enim merita tua hæc sunt, sed Dei gratia*, subjungit statim: *Etiamsi fidem dicas, ea exstitit ex vocatione; et si dicas remissionem peccatorum, si dona ac charismata, si docendi rationem, omnia inde accepisti.* Quæ doctrina mirum in modum consonat cum doctrina Augustini. Reducit enim Chrysostomus omnia bona opera ad vocationem tanquam ad primam originem, et ratione illius dicit esse solius gratiæ, et non esse nostra et similia. Unde ratione ejusdem vocationis dixit in tomo 1, Homil. de Adam et Eva, circa finem: *Agit quippe in nobis, ut quod vult et agamus et velimus, scilicet, per vocationem, ut ex Augustino jam vidimus. Unde incertum etiam est an illa homilia sit Chrysostomi; videtur enim potius ab aliquo ex variis locis Augustini congesta.*

Nazianzenus. — Quinto, affert Gregorium Nazianzenum, oratione trigesima prima, late docentem hominem, ad recte volendum, indigere divino auxilio. ac proinde Deo esse tribuendum, et velle, et currere, et victoriam comparare, et similia. Verumtamen, cum ibidem Gregorius exponat illud Pauli: *Non est volentis, etc.*, id est, non est solius hominis volentis, sed principaliter Dei miserentis, potius posset ille locus Nazianzeni contra illam sententiam adduci, quæ vult solius Dei esse voluntatem hominis determinare ad volendum, ut in libro tertio de Auxiliis, capite nono, notavi. Facitque quod idem Nazianzenus in Apologetico fugæ suæ, alias oratione 21, ait, singularis et eximiæ Dei bonitatis argumentum esse, facere ut nostra quoque aliqua ex parte sit virtus, nec natura tantum nobis inseratur, sed voluntate etiam animique proposito excolatur, arbitriique libertate parem in utramque partem motum habente. Et quod gravius est, in oratione in sancta Nativitate, de primo homine loquens ait: *Hunc arbitrii libertate donatum, ut bonum non minus illius esset qui elegisset, quam*

ejus qui semina præbuisset, in Paradiso collocat, etc. Quæ verba pia indigent interpretatione et moderatione, ut particula *non minus*, non dicat æqualitatem, sed necessitatem utriusque influxus, nam alioqui jam docuit idem Nazianzenus, in loco citato, in illo opere principales partes esse Dei, ideoque merito potuisse Paulum totum Deo attribuire, non ut liberam determinationem voluntati neget, sed quia *cujus est quod est amplius, ejus dicit esse totum*, ut tractando eundem locum dixit Chrysostomus, homilia decima secunda ad Hebræos. Ubi addit illud dici convenienter humanæ consuetudini, qua duci vel artifici magnitudinem victoriæ vel pulchritudinem ædificii tribuimus, quamvis plures habeant cooperatores. Quod obiter sit dictum, non ut locum Pauli exponamus, de quo supra dictum est, sed ut constet quam fuerit Nazianzenus ab illa sententia alienus. Neque magis ad rem facit locus alius ejusdem Nazianzeni citatus apud Augustinum, libro de Dono persever., capite decimo nono, in quo nihil aliud continetur, nisi fidem et confessionem fidei esse donum Dei; quod quidem est Catholicum dogma; quid autem conferat ad physicam prædeterminationem non video.

Athanasius. — Sexto, adducit Athanasium exponentem verba Pauli ad Ephes. secundo: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Jesu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in ipsis ambulemus.* Refertque Athanasium expresse ibi dicere voluntatem nostram a Deo immutari, et ipsa opera bona esse a Deo præparata et prædefinita. Sed, licet daremus Athanasium dicere omnia quæ hic referuntur, nihil ad causam referret. Nam quod Deus voluntatem immutat certum est; modum autem inquirimus, de quo nihil Athanasius dixit. Quod item Deus bona opera præparet, de fide est; nam ibidem Paulus expresse dicit: *Creati in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in eis ambulemus.* Hæc autem præparatio cum sit æterna, et ex parte agentis, non est ad extra, sed ad intra, ut notavit D. Thomas, prima parte, quæstione 23, art. 2, ad 3, et ideo nihil ad physicam prædeterminationem, quæ temporalis actio et externa est, refert. Denique, quod Deus prædefinire possit bona opera, interna etiam præfinitione, nos fatemur, neque inde sequitur determinatio physica, ut alibi tradidimus, eo vel maxime quod, juxta exigentiam illius loci, præparatio et prædefinitio idem sunt, et

non oportet ut sit tantum per decretum absolutum, sed magna ex parte fit etiam per voluntatem antecedentem, seu simplicem, aut conditionatam; quia Deus non solum præparat bona opera, quæ aliquando facimus, sed plura etiam alia et meliora, quæ facere possemus, et a Deo, quantum est ex parte ejus, fuerunt ab æterno desiderata et præparata, per sufficientia, vel fortasse etiam per superabundantia auxilia, et propter nostram negligentiam illa omittimus. Multo enim liberalior est Deus in præparandis nobis operibus, quam nos in exequendis illis. Hæc igitur præparatio etiam est prædefinitio ex parte Dei; quia ex vi illius infallibiliter dat talia auxilia, et est paratus ad actualiter juvandum, ac supernaturaliter concurrentium; ex parte vero hominis potest includere conditionem: Si per ipsum non steterit. Quare talis præparatio vel prædefinitio nihil ad physicam prædeterminationem perinet.

Addo Commentarios illos non esse Athanasii, nam in illis citantur Nazianzenus et Chrysostomus, Athanasio posteriores. Tribui autem solent Theophilacto vel Theodoro, quorum sententia in eo loco est, *nos per baptismum recreari in Christo Jesu, non ut otiosi simus, sed ut bene operemur*. Et Theophilactus nullam aliam præparationem honorum operum explicat, nisi, *quia sicut in principio Deus hominem condidit ut esset, ita etiam nunc ut bene sit. Conditusque es (inquit) non ut otieris, sed ut opereris, circumambulesque in bonis operibus, hoc est, omnem ætatis tuæ cursum in hisce perficias*; et infra: *Deus enim præparavit hæc, quocirca non sunt differenda vel rejicienda, seu opus divinitus destinatum*; et addit: *In operibus bonis, non uno nimirum opere, sed omnibus; nam si unum desit, mutilata est virtus*. In quibus verbis nullum eorum habetur quæ ille auctor refert; imo et ex illis manifeste constat non solum non loqui Theophilactum de præparatione physice prædeterminante, verum etiam nec de prædefinitiva per absolutum decretum, sed solum de præparatione antecedente, quantum est ex parte Dei. Et eodem modo aperte loquitur Theodoretus dicens: *Vocavit nos per suam bonitatem inefabilem, obedivimus, et cum credidissemus, sumus salutem consecuti. Sed ante Baptismum quidem activam virtutem (scilicet Christianam et veram) a nobis non exegit; post Baptismum vero ei jubet inhærere; hoc enim dicit in operibus bonis, ut in illis ambulemus*. Qui modus præparationis communis est omnibus bapti-

zatis; nulla ergo prædeterminatio ex illis verbis colligi potest. Imo, dum prævenientem gratiam in vocatione ponit, eique immediate subjungit obedientiam, quam homini cum divino adjutorio tribuit, non parum nostræ sententiæ favet.

Septimo, refert Cyrillum Alexandrinum, libro primo de Adoratione in spiritu, pagina decima quinta, ubi exponens verba illa Geneseos 19: *Cum vero mane factum esset, urgebant Angeli Loth dicentes: Accipe uxorem tuam, et duas filias quas habes, et eæ, ne et tu pereas cum iniquitatibus civitatis, et turbati sunt, et tenuerunt Angeli manum ejus, ex illis sic colligit: Indicium autem tibi sit valde manifestum, dum non solis verbis nos stimulat, et adhortationibus menti immittit, ut discedamus a peccato; sed tam etiam benignitatem nobis exhibet universorum Salvator Deus, ut efficaci subsidio adjuvet, secundum quod scriptum est, Psalm. 72: *Apprehendisti manum dexteram meam, et in consilio tuo deduxisti me. Nam, quoniam hominis natura non valde generosa est, neque satis idonea ut malum effugere queat, simul quodammodo nobiscum certat Deus, et duplex concedere beneficium videtur, persuadens admonitionibus, ut subsidium inveniamus, et fortius illud præstans, quam ut malum præsens et violentum prævalere possit*. Hæc enim sunt ejus formalia verba. Et quamvis dictus auctor aliam fortasse translationem secutus, aliter ea refert, eundem omnino sensum reddunt. Optimeque confirmant necessitatem gratiæ excitantis, et adjuvantis; quid vero ad causam quam ille auctor persuadere studet, non video. Nam quod Cyrillus dicit, dare nobis Deum auxilium vel subsidium efficax, nemo nostrum negat, præsertim quia ibi loqui videtur de efficacia in actu primo, qui, ut alibi notavimus, est frequens modus loquendi Sanctorum, præsertim quando loquuntur de auxilio abundantiori, quod dat Deus homini, quem vult potentiorum seu valentiorum reddere, quam sit tentatio. Quod auxilium, quantum ad consequendum effectum, sæpe est tantum sufficiens, quia homo illi non cooperatur. Aliunde vero præveniens auxilium per internas adhortationes et admonitiones mentis immittit Cyrillus explicat; adjuvans vero per simultaneum auxilium, dum ait, simul quodammodo nobiscum certat Deus. Quod autem neutrum eorum prædeterminet voluntatem, indicat, cum subdit, nihilominus paucos esse qui virtutem exerceant, verumtamen qui*

talis est electus, et divinam gratiam non perfunctorie assecutus.

Patres Latini. — Venio ad Patres Latinos, ex quibus refert divum Cyprianum, libro tertio ad Quirinum, capite quarto; Ambrosium, libro decimo in Lucam, capite trigesimo nono; Hieronymum, epistola ad Ctesiphontem, capite tertio, et libro quinto in Jeremiam, capite sexto et vigesimo quarto, et libro primo super epistol. ad Ephes., capite secundo. Hic etiam adjungi potest, quod refert ex Clemente, libro tertio Recognitionum, capite vigesimo nono. Ego vero, libro primo de Auxiliis, capite decimo tertio, pro nostra sententia citavi Hieronymum, epistola centesima quadragesima sexta, et libro tertio, capite nono, retuli eundem Hieronymi super quadragesimo nono Jeremiæ; et capite decimo tertio ejusdem libri, retuli alia ejusdem Hieronymi loca, atque etiam Hilarium in Psalmo secundo. Quibus addi potest Tertullianus, libro secundo contra Marcionem, quatenus hi Patres et alii frequenter dicunt, ad liberum arbitrium necessarium esse ut potestas flectendi se ad alteram partem sit in voluntate, et necessitate induci significant, si ab extrinseco determinetur. Quod maxime notavit Clemens Romanus, in epistol. tertia. Fatemur enim etiam hos Latinos Patres non loqui expresse et in particulari de præsentia quæstione, solumque in modo loquendi de libertate et de conditionibus requisitis ad usum ejus, significare antecedentem prædeterminationem physicam, cui voluntas resistere non possit, liberum usum destruere, ideoque non posse ad efficaciam gratiæ pertinere. Quod etiam confirmari potest auctoritate negativa eorundem Patrum, quia nullibi talem modum efficaciam indicant, quod facile patebit discurrendo per eos quod adversarii allegant.

Cyprian. — Primus est Cyprianus, libro tertio ad Quirinum, capite quarto, ubi proponit axioma illud: *In nullo gloriamini, quando nostrum nihil sit*. Quod confirmat variis Scripturæ locis, ut illo Pauli: *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Idemque refert et amplificat Augustinus, libro de Prædestinatione Sanctor., capite tertio, et libro quarto contra duas Epistol. Pelagianorum, capite nono. Ex eo vero testimonio Cypriani, solum colligit in nullo bono nec in ipsa fide posse hominem ut ex se gloriari, quia semper gratia præcedit, ut homo hujusmodi bonum exercere valeat; itaque ex illo dogmate Cypriani nihil

amplius colligi potest, quam quod sumitur ex verbis Pauli: *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* Additur deinde locus ejusdem Cypriani in expositione Orationis Dominicæ circa illa verba: *Fiat voluntas tua*. Quem etiam locum tractat Augustinus, dicto libro quarto contra duas Epistol. Pelagian., capite nono, et libro prima contra Julian., capite tertio, et ex illo solum colligit necessariam esse gratiam prævenientem et adjuvantem, ut voluntas Dei a nobis et in nobis impleatur. Quod his verbis Cyprianus docet: *Oramus et petimus ut fiat in nobis voluntas Dei; quia ut fiat in nobis opus est Dei voluntate, id est ope ejus et protectione; quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia et misericordia tutus est*. Et infra, eadem verba aliter exponens, dicit per ea nos petere, *ut quomodo in cælo, id est in nobis, per fidem nostram voluntas Dei facta est, ut essemus e cælo; ita et in terra, id est in hominibus non credentibus, fiat voluntas Dei, ut qui adhuc sunt prima natiuitate terreni, incipiant esse cælestes, ex aqua et spiritu nati*. In quibus verbis solum expendit, qui nobis illa objicit, quod Cyprianus non dicit orandum ut infideles pro sua innata libertate convertantur et credant, sed ut faciat Deus eos credentes, et in eis fiat voluntas ejus.

At enim inquiri an voluntas Dei sit ut illi convertantur, et credant ex libertate, vel ex necessitate. Non quidem ex necessitate; ergo ex libera voluntate; ergo dum petimus a Deo, ut in eis fiat voluntas ejus, petimus ut sua libera voluntate credant; credere autem libere et pro sua libertate idem sunt. Hæc autem libertas non est extrinsecus addita, sed est intrinseca proprietas ipsius voluntatis; ergo, dum petimus ut libere credant, petimus ut pro sua innata libertate credant; non autem pro sola libertate, sed tali gratia præventa et adjuta, quæ illam non impedit; et hoc ipsum per talem orationem indicatur; nam utrumque petimus, scilicet, et ut faciat nos Deus facere voluntatem suam, in quo fatemur gratiam suam esse necessariam ac præviam; et ut ita faciat, ut nos etiam libere faciamus, ac proinde ut ad conversionem nostram cum ipsius adjutorio nos flectamus ac determinemus; non ergo petimus ut nos ipse physice determinet; nec de hoc unquam cogitavit Cyprianus.

Ambrosius. — Secundo loco refert Ambrosium, libro decimo in Lucam, exponentem verba illa, capite vigesimo secundo: *Et conversus Dominus respexit Petrum*, et dicentem: